

Exemplar fusioris codicilli, authore viro nobili Ludovico de Bils, ... In quo agitur de vera humani corporis anatomia.

Contributors

Bils, Lodewijk de, 1624-1670.

Publication/Creation

Roterodami : Typis Joannem Næрани, ..., Anno MDCLIX [1659]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/m6qsus9c>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

3.
Exemplar fusiōris Codicilli,

Authore Viro nobili

LUDOVICO DE BILS,

Domino in Koppensdamme, Bonem, &c.

In quo agitur de vera

HUMANI CORPORIS

ANATOMIA.



ROTTERODAMI;

Typis JOANNIS NÆRANI, Bibliopolæ & Typographis.
ANNO clō lō c lix.

Exemplar fuforis Codicibus

Abfque Vno nobili

UDOVICO de BILIS

Domino in Kerpenthalum, Bonum, &c.

la que agit de ven

HUMANI CORPORIS

ANATOMIA



ROTTERODAMI

Joannis N. van der, Bibliopoli & Typographi.
Anno 1671

Exemplar fusioris Codicilli,

Authore Viro nobili

L U D O V I C O D E B I L S,

Domino in Koppensdamme, Bonem, &c.

In quo agitur de vera

HUMANI CORPORIS ANATOMIA.

Die 26 Maij Anno 1656. exhibuit se mihi *Leonardo à Zyl* Notario Publico, cui ab Hollandiæ curia facultas muneris istius, Roterodami domicilium est, & testibus postea nominandis, vir nobilis *Ludovicus de Bils*, dominus de *Koppensdamme Bonem &c.* prætor urbis & territorij *Aardenburgensis*, qui coram exposuit, ut & nunc facit hac charta interprete, quod quamvis post donata sui in Anatomicis artificij specimina aliquot celeberrimæ Academiæ Lugduni in Batavis, abstinere prorsus voluerit Anatomicis sectionibus, quas annum jam decimum quartum intermiserat. cum tamen omni persuasionum ope instarent viri eruditione excellentes & acri ingeniorum in ulteriora prospectu, tam hic quam apud exteros, admotis porro stimulis ex singulari gratia & facultate sibi ab Illustrissimis foederatæ Belgicæ Ordinibus datâ, ad opus, quod tantæ necessitatis publica dictat opinio, corpora eorum, quos vel politicus vel militaris magistratus damnavit ad mortem, aut exterorum (si vindicare sibi neglexerint amici) qui in Xenodochiis exspirarent, quâ patent loca immediate Illustrissimis Ordinibus Generalibus subdita, ad curiosius Anatomies suæ scrutinium, cum fructu in publicum redundaturo, revocandi; suggerente etiam animum occasione struendi theatrum Anatomicum in aula hujus urbis, non ita pridem Anglis mercatoribus assignatâ, cujus usus à nobilissimis amplissimisq; jam dictæ urbis Roteradamenfis rectoribus concessus est ex insigni benevolentia, tandem decrevit atq; adeo jam promovere cæpit institutum novæ & consummatæ anatomie, in quâ corporis humani sectio & conservandi ratio traderetur inusitata vulgo, conspicuum redditura

quidquid est venarum, arteriarum, nervorum, musculorum, inconfusis & discriminatis singulis, ut & originem nexus ostendat & finem; etiam cor, jecur, pulmo, visceraque, oculi & cerebrum, manentibus dignoscendorum corporum notis: quæ sic habita, ut Anatomicis in ea lectionibus æstas pariter & hiems accommoda sit, veterum & noviorum Anatomicorum errores ad oculum demonstrari possint, cum omnia peragantur sanguine non effuso, unde corpus humanum intime perspicitur, sanguine nusquam impedimentum objiciente, qui partibus alioqui offundit caliginem. Eadem quoque ratione oculis obvium erit fundamentum veræ circulationis in sanguine, quæ Harvejum authorem habet; & porro demonstrabitur, venis tumefactis quibus sanguis influit, ut venæ alioquin vix conspicuæ, impleantur sanguine, ejusque copia intendantur, atque ita valvulæ in venis conspectui pateant, & quomodo aperiantur claudanturque, neque unum innotescat valvularum genus, tam corniculatæ instar lunæ quam formæ alterius, de quibus agitur fusius in libello ejus cui titulus, verus usus ductus chyli ferri hæctenus habiti & resuscitatio jecoris, cujus nescio quis jam nuper tumulum conscripsit, & quo intelligi potest officium ductus roriferi cum suis ramis pendulisque fistulis, quod etiam iter sit succo in cor ejusque ventriculos, lacrimis in oculos, salivæ in os, vas serum vehentibus in jecur, rori denique totum corpus permeanti. Et cum habeat exploratissimum fieri non posse, ut vasta tanti, quod destinavit, operis moles, fastigium accipiat privatis impensis, quæ hæctenus abierunt in aliquot librarum flandricarum millia, neque aliorum Principum beneficiis (licet sæpius invitatus) vivere voluerit obnoxius, omnibus, quos generis humani salus eamque complexa scientia ullo tangit studio, instituti sui summam constare cupit, sollicitatque ad conferenda subsidia, iis legibus, quas viri eximie docti sponte pridem ei suaserunt, ut non pauciora quam quinquaginta corpora, & anatomice secanda & conservanda habeantur, unde sumi queunt & æri incidenda, & quæ scribendis libris materiam suppeditent, atque ita publico bono ob rationes supra enarratas, peculiarem sibi anatomiam conservationisque modum omnibus impertiat singulisque, qui privatim sibi consulere avidi auxiliarem cœptæ molitioni manum non denegant, collatitiæ pecuniæ summâ, quæ, plurimis largientibus expeditum nacta incrementum, facile explebit viginti librarum

rum flandricarum millia, cum priusquam dicta corpora anatomen subierint, & rite fuerint munita aduersus putredinem, aliquot florenorum millibus sit opus, ne aliæ memorentur impensæ in antecessum neque alium in finem factæ & adhuc faciendæ. Quicumque igitur artis istius aliquâ tenetur cupiditate, & de urgendis ejus profectibus sollicitus est, coram numeret aut mittat addito nomine florenos viginti quinque Carolinos semel, aut si cui liberalius hic agere libet, ut destinata accelerentur promoveanturque, arbitrarium id illi esto, ut ita ex particulis summa Capitalis jam dicta colligatur. Illisque hujus codicilli author, solemnî syngraphâ quam manu suâ & sigillo muniet, se obstringet, præstiturum intra sesquianni spatium, numerandi à primâ Julij 1659, ut omnia in aperto sint, atque scripto suâ manu signando satisfiat æquis æstimatoribus. Si vero ab exteris missâ pecuniâ non putent assequi se posse authoris mentem ex scriptâ commentatione (quod futurum non opinatur) aut ipsi coram adsint, aut suâ ex urbe mittant Anatomicis sectionibus interfuturum, verum modum ipsis demonstrabit author, ut & harum regionum incolis (prius præstitis præstandis) si oculos habere libuerit arbitros, ut certius hauriatur scientia, quam longa ei conciliarunt experimenta, totius corporis Anatomicè excutiendi, sanguine non missò, & per secula aliquot à putredine conservandi, ut supra dictum, ita ut ab illo tempore in explendâ pecuniæ summâ sociis æque ac ipsi authori, non defutura sit facultas, erigendi conservandique integra corpora, cum sanguine, visceribus, cerebro, & quidquid intus continetur, sine ullo putredinis vel minimo periculo. Si quem impellat curiositas spectandi in antecessum quæ solidam ostendant hujus promissi fidem, promovendi operis ergo, priusquam viginti quinque florenos conferat monetæ carolinæ, dato imperiali admittetur ad inspicienda quatuor specimina, totidem corpora humana integrè erecta & sublatis putrescendi causis, sed in quorum singulis non eadem occurret Anatomies ratio, exhibitura tamen, ut nihil penitus desideretur, venas, arterias, nervos, membranas, musculos suis distincta locis. Sed elapso, quem diximus sesquianno, si summa aliquoties nominata deprehendatur laborare defectu (quod suspicari fere nefas fuerit) atque ita proposito injiciatur obstaculum, promittit omnibus & singulis, qui vel per se vel per alium prærequisita solverunt comparandæ in Anatomicis

scientiæ, ubi syngrapham exhibuerint, redditurum se protinus cuique viginti quinque florenos, adjecto quod excedit, iis qui plus contulerunt, retento duntaxat imperiali, spectandis quatuor corporibus dato, unde & impensæ refarciantur factæ & adhuc faciendæ, nequid in quatuor dictis corporibus requirat inspicientium curiositas. Atque ut absit omnis dolus malus, obstringet se author ex chirographo singulis tum ratione sui in arte promissi tum pecuniæ præstitæ, obligatis & se & bonis mobilibus immobilibusque. Sin (quod avertat Deus) ante præfinitum tempus fato concedat author, uxor ejus pari ex vinculo tenebitur reddere singulis suos 25 florenos, cum auctario quod per nonnullos accesserit, aut focis artem scripto consignatam tradet, quam candide testatur atque ex bonâ fide quidquid sibi in eâ perspectum servari in capsulâ ex lamina plumbi, mihi Notario exhibitâ, meoque sigillo obfignata, & apud uxorem authoris depositâ, ut ex æquo satisfiat singulis repetendi facultatem habentibus. Atque declarationis superioris instrumentum debitâ in formâ à Notario fieri voluit Author sæpe memoratus.

Actum Roterodami, Præsentibus JUSTO RYKEWAERT & LAURENTIO JORDAEN, Medicinæ Doctoribus, specialiter ad id requisitis.

Paulo inferius exstabat, Quod attestor, & subscripserat

LEONARDUS à ZYL.

Consentit cum suo Archetypo, die & subscriptione ut supra.

Hoc amplius monendum censuimus. Si qui sunt qui suas pecunias privatæ fidei concredere nolunt, poterunt eorum singuli, vel qui longius absunt, deni, viceni, triceni socialiter unius nomine eas apud publici ærarij quæstorem deponere, quo securitati de restituendo consulatur, si hoc negotium alium sortiatur eventum quam author in se recipit spondetque. Qui tamen non poterit non stare promissis cum ea sææ artis & industriæ specimina penes se habeat, præ quibus oblata olim liberali manu Academiæ Lugdono Batavæ Donaria haud magni sane sunt pretij. Sed ille, nec obolo inde gravior factus aut propensior hoc solum elogij à Professoribus Leydensibus tulit, quod hic testimonij instar exhibere publice placuit, quo aut contemptore rerum quas non intelligunt reprimantur, aut dubitantes ad plenioram fidem habendam impellantur. Porro illud ad verbum sic habet.

ATTE-

(7.)
A T T E S T A T I O
J O A N N I S H O R N I

Anatomiaë Professoris Lugduni Batav.

L E C T O R I, S.

INter tot tantaque rara, ex omni ferè Orbis parte petita Cimelia, quibus Anatomicum Theatrum exornare voluerunt, viri genere illustres, longinquis peregrinationibus & litterarum studiis præclari; non infimum locum merentur, quæ nuperrime eodem loci reposita sunt Nobilissimi D. D. Ludovici de Bils Toparchæ in Coppensdamme, Bonem, &c. Donaria, tanto pluris æstimanda quanto & suâ magis sunt, & Theatri nostri propria. Cum enim alii, Pisces, volatilia, quadrupedes, similiaque exotica monumenta Posteritati reliquerint, Hic affabrè propria manu constructa Sceleta, Liberali dono Reip. Medicæ Commodis obtulit. In quibus sanè admirari satis nequeat aliquis Generosi Viri (cujus tibi hic insignia exhibita sunt) tum industriam tum indefessum studium atque cupidissimum corporis humani structuram cognoscendi animum, utilissimum mortalitatis suæ consciis spectaculum. Quibus quid magis proprium magisque huic Theatro necessarium S C E L E T I S, præsertim cum quæ extant vel vetustate sint collapsa, vel otiosorum manibus mutilata. Sed fidem superat omnem, exsiccatum hominis cadaver, recenter mortuum diceres, tanto Theatro dignissimum opus. At vero singula propius inspicienti & consideranti attentius, quanto cum pecuniæ & temporis dispendio, addo & molestiis comparata sint, & quam belle exornata hæc omnia, non jam admirationem sed stuporem parient.

Sunt autem Nob. Viri hæc speciatim Donaria.

I. **E**Xsiccata Hominis cutis, ad humanam redacta figuram, capitis, barbæ, oculorumque pilis conspicua. II. Sceltea humana tria affabrè elaborata. III. Skeleton Bovis, Equi, Asini, Canis venatici, Porci, Arietis, Simiæ, Infantis, IV. Abortus in skeleton redactus, V. Caput Hippopotami, Leonis, Lupi. VI. Cranium hominis in quo insignis est utraque tabula ut & aliud cranium in poculi formam elaboratum. Quæ omnia

omnia & singula pro majori Anatomici Theatri Acad. Lugd. Batav.
ornamento ibidem loci reposuit Kal: Maij, Anno 1651.

JOANNES van HORNE,

Med. D. & Anatom. Professor. Manu propria.

PRædictus Vir Nobilissimus, hanc quoque in Humana Fabrica non minus utilem quam jucundam observationem habuit, mihi que ad oculum exhibuit, Anno 1655, Organum auditus Osseum, in quatuor partes, inventis locis quibus eadem invicem committuntur, commodè separari, ut tam serra, cultro, aut lima opus non sit ad interioris thalami (in quo reposita sunt quatuor ossicula) inspectionem. In cuius rei testimonium, voluit quoque in publico Leydensi Theatro eadem ossa sic separata, juxta reliqua ipsius donaria publicè reponi à Theatri præside & Profess. Anat. Ordin. J. van HORNE.

HEUS ERGO

Lector & Spectator ΦΙΛΙΑΤΡΕ nobilissimo Viro

Condignas laudes grato animo repende.

